



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum

Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Cap. XI. Concilium Bundigalense 1624.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)

CAPUT XI.

Concilium BURDIGALENSE 1624.

EDictum convocationis Concilii Burdigalensis an. 1624. habiti, docet id factum fuisse ad obtemperandum Decreto Tridentino. *Concilia Provincialia per Sacrosanctum Oecumenicum Concilium Tridentinum singulo triennio in Provinciis habenda . . . cum enim is optimus conservande Disciplinae Ecclesiasticae à Patribus Divino numine afflatis introductus sit modus, ita sollicitè ac fructuosè olim servatus; & pro corrigendis excessibus, reformandis moribus, & controversiis componendis, à Concilio Tridentino salubriter demum innovatus.*

Apparet etiam ex *Epistola* Cardinalis DE SOURDIS, qui Concilium hoc convocavit, ejus finem fuisse reformationem morum juxta Decreta Concilii Tridentini & posterioris Synodi Burdigalensis, quæ, ut vidimus, descripsit Tridentinum. *Ut ad moderandos mores . . . ad præscriptum Sancti Oecumenici Concilii Tridentini, & nuperi Provincia Burdigalensis.*

Sed, licet is fuerit finis Synodi hujus, crebram Tridentini mentionem facere non potuit, quia Synodus præcedens statuerat circa executionem plurimum Decretorum Tridentinorum. Itaque mirum esse non debet, Tridentinum hic paucis vicibus laudari.

Num. 9. & 12. Cap. 1. Concilium laudat indirectè Decreta Concilii Tridentini, laudando Indicem Librorum ex illius jussu confectum. *Num. 9.* præcipit, ut Libri, qui Fidei moribus ve nocere possint, non exponantur Scholaribus, priusquam emendati fuerint, prout sunt in Indice facto ex jussu Tridentini; & *Num. 12.* sub penâ excommunicationis lata sententiæ prohibet, ne legantur Libri damnati in Indice Concilii Tridentini.

Cap. 6. num. 10. Tridentini Decretum laudat suspendens in annum à Collatione Ordinum Episcoporum, qui eos alterius Episcopi Diocesano conferat dimissorium non habenti, & Ordinatam ab exercitio Ordinum receptorum, quamdiu placebit Episcopo contempto.

Cap. 12. Concilium Tridentinum pluries laudatur. Dicitur in Præfatione; *Ac licet multa sint ab ultimo Provinciali ex Concilio Tridentino decreta, quæ, si exactè servarentur ab omnibus, aliud sufficere possent.*

Num. 1. Cavetur, ut Prædicatores explorentur circa plura Decreta, in quibus non pauca sunt circa Disciplinam; Synodus igitur voluit, ut illi scirent Disciplinam à Tridentino quoad illas res institutam.

Num. 4. Præcipitur executio Decreti Tridentini adversus Quæstores.

Num. 5. Synodus Catechismum Concilii Tridentini annumerat inter fontes, in quibus Parochi haurire debent Doctrinam, in qua plebs erudiri debet.

Num. 7. Significat, plebi exponenda esse quadam Mysteria Missæ, juxta præscriptum Tridentini, dicendo, utilissimum esse, ut hæc expositio fiat.

Num. 1. Cap. 22. Decernit executionem omnium Statutorum superioris Synodi Burdigalensis 1583. & consequenter Concilii Tridentini; nam supra ostendimus, illam Synodum magnoperè incubuisse ad procurandam observationem Decretorum Tridentini, cum horum ferè omnium substantiam, aut ipsa verba retulerit.

CAPUT XII.

Animadversiones circa Excerpta collecta.

EXcerptis superioribus miscuimus Notas, circa res, quæ sunt illis peculiare, jam ad communes deveniendum est.

1. Ex Excerptis collectis sequitur, nullam esse Synodum Gallicanam post Concilium Tridentinum habi-

tam, quæ illud non acceperit, quantum potuit; adeo enim acriter student, ut illius Decreta observentur, ut credibile esset, eas convocatas fuisse ad eorum executionem procurandam, etiamsi id ipsum eæ non testarentur.

2. Inde etiam apparet, Synodos ipsas, quæ assensum se optavisse, ut Rex publicationem Tridentini permisset, nihilominus præcepisse executionem plerumque Decretorum ejus; Undè sequitur, eas vel credidisse illam publicationem necessariam non esse, quoad omnes effectus horum Decretorum, sed quosdam effectus esse spirituales, ab Ecclesiâ solâ dependentes, quorum gratiâ observandum erat Tridentinum; vel eas existimavisse, Episcopos, quibus licet dare suis Diocæses Statuta earum necessitatibus congrua, debere in Tridentino seligere Decreta, quæ ipsis talia viderentur, modo Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ non adversarentur. Præfatio *Actorum Cœtus Melodunensis* hanc conjecturam confirmat.

3. Inde etiam apparet, Synodum Rhemensem an. 1583. primam esse, quæ Decretum de Reformatione Matrimonii promulgaverit; quâ in re audacior fuit Synodo Rhemeni an. 1564. quæ partem ejus duntaxat excerpterat, posueratque inter Decreta approbata, sed nondum promulganda. Discrimen oritur fortè ex eo, quod quadriennio ante Secundam Synodum Rhemensem, scilicet an. 1579. Constitutio *Blesensis* in legem converterat hoc primum Decretum reformationis. Credibile est etiam, quod eadem ratio induxerit Synodos Gallicanas subsequentes ad imitandam Rhemensem, non verò solum ejus exemplum eas ad id movisse.

4. Ex iisdem Excerptis apparet, præcipua Decreta Concilii Tridentini communiter recepta fuisse à nostris Synodis Galliæ. Talia sunt Decreta circa Libros prohibitos, Prædicationem, Residentiam Episcoporum, & Parochorum, collationem Beneficiorum, demissionem Beneficiorum incompatibilium, Ordinationem, Matrimonium, administrationem Sacramentorum, restitutionem auctoritatis Episcopalis, per abrogationem, aut restrictionem Exemptionum, sive Capitularium, sive Regularium; reformationem Clericorum, Regularium & Monialium; rectum usum Cenfararum, institutionem Seminariorum & Theologorum.

5. Inde etiam apparet, quasdam Synodos sanxisse executionem aliquot Decretorum sententiis, sive regulis Galliæ adversantium. Tale est illud, quod rescindit contractus Civiles à Tridentino prohibitos, cuius observatio decernitur à Synodo *Tolosanâ*; forsitan hæc sperabat, fore, ut Rex hoc Decretum auctoritate suâ communitet.

His animadversionibus, quæ sunt merè consequentiæ excerptorum, una est adjicienda, sumpta ex eo, quod gestum est, circa confirmationem Synodorum, è quibus illa petita sunt; cum factum hoc commune sit omnibus Synodis, quæ hanc confirmationem postulaverunt, ejus consequentiam huc transferendam seu differendam esse duximus. Factum in hoc versatur, quod omnium Synodorum Statuta, quæ Romam missa fuerunt, ut confirmarentur à Sede Apostolica, subjecta fuere examini Congregationis Cardinalium ad interpretationem Tridentini instituta; quod Episcopi Galliæ id sciverunt, atque consenserunt; quod Cardinales emendaverunt Decreta harum Synodorum juxta Decreta Tridentini, quodque hæ Synodi receperunt eas emendationes, suaque Statuta non nisi cum iis promulgaverunt.

Indè sequitur, quod, non solum Roma spectaverit Synodos Gallicanas velut consequentias Tridentini, sed etiam, quod Episcopi Gallicani eas eodem modo spectaverint; quod profecto oritur ex eo, quod Romani putaverunt, eas Synodos habitas fuisse tantum ad executionem Tridentini, & quod Ecclesiæ Gallicanæ ipsas eodem animo celebraverint.

Narrando factum superius, consultò significavimus, quasdam Synodos Gallicanas Tridentino posteriores, non postulavisse confirmationem Pontificiam;